

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jacob Sebastian Lauremberg

**Jacobi Sebastiani Laurembergi, Oratio De Solemnibus Nundinarun Ineptiis.
Habita cum Lectiones publicas in C. Corn. Taciti annales redintegraret**

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730148548>

Druck Freier  Zugang



R. Le phel 1652.

Lauenburg, Sac. Sch.

Oratio de solennibus mundinam incepta



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730148548/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730148548/phys_0002)

DFG

39

JACOBI SEBASTIANI
LAUREMBERGI,
ORATIO
DE
SOLEMNIBUS
NUNDINARUN
INEPTIIS.

Habita

cum

Lectiones publicas in C. Corn.
TACITI annales redintegraret.



ROSTOCHII,
Ex Officina NICOLAI KILLI, Acad. Typogr.

Anno 1656 LII.

1656

VIRO REVERENDO
D N. JOACHIMO LINDE-
MANNO, ad D. Petri Concionatori
facundissimo, amico veteri meo
& intimo
S. D.



Nominatum atq; infelix existimabat Divus Augustus amice perchare, postridie nundinas quoquam proficisci, & fortasse abeventus; quippe expertus erat res eo tempore inceptas nunquam veritasse bene; Ita ego parum auspicatum, pa-
rumq; opportunum fore credidi, illo die, qui Octavio
Heroi ater infaustusq; visus est, & aliquot eum inse-
quentibus publicè profiteri; etenim jure metuebam, ne
solus relinquarer in Cathedra, soliq; mihi & Musis con-
cionari necessum haberem, auditoribus destitutus alijs,
utpote ad forum nundinarium aut dilapsis jam, aut cer-
tè tendentibus. Ergo distuli lectiones & interpreta-
menta super C. C. Taciti annales, quibus explicandis
occupabar (& occupor nunc jam) ad ipsos quatuorde-
cim dies, donicum præteriissent annivertariorum mer-
catuum solemnia tempora, quibus versis quo Juvenes
studiosos recentarem ad solitam attentionem atq; ac-
cenderem, placuit quædam de *NUNDINIS* vix tum
præterlapsis proæminari, sed more meo i. e delectabili
potius simpliciæ quam grandi & altisona dicendifi-
gurâ, quippe semper amavi & adhuc vehementer amo
illud Poetæ:

— — *ridendo dicere verum*
Quid verat? — —

Cete-

Ceterum quod publicare audeam incomptam & neutri-
 quam lucernam olentem, sed raptim consarcinatam dis-
 fertatiunculam hanc illud vero multos risuros jam præ-
 scio, in primis sciolos, qui nisi quod ipsi congerunt aut
 conscribillant, nihil probabile putant aut rectum: at
 vero non ego tam abjecti & degeneris animi sum, ut
 cavillis nasutulorum terrear aut censurâ superciliosa.
 sunt fateor qui magna possint, & quibus non nisi subli-
 mia placent, fastidiuntur popularia, at his non in video
 ego, non obrecto, quin potius gratulor medullitus de-
 tanta ingenii excellentia. Mihi vero sufficit quosdam
 inveniri in mundo mortales, qui meas aliquid putant esse
nugas, & non solum non eas despectant, sed etiam sibi
 gratas esse, factis ipsis egregie comprobant, euntq; de-
 monstratum. Ecce enim, M: Lindemann, qui soles, ut
 sincerum addebet amicum, meis gaudere prosperitati-
 bus, quando ante menses aliquot Orationem à me habi-
 tam de Bacchante Orbe *cunctarum nationum*, qui in hoc
 incluto lyceo animo proficiendi morantur, studiois in-
 scripsi, *quidam* ex iis tam splendide tamq; liberaliter
 omnem præter exspectationem me munera sunt, ut
 ingratissimus profecto possem judicari, si tanta illa be-
 neficia aut dissimularem, aut ponerem extra conspe-
 ctum. Vos HOLSATI, Vos item POPULARES
 mei. Vos POMERANI, Vos MARCHITÆ &
 quos iis nexus copulat popularitatis LIVONI, Vos
 BRUNSVICENSES, Vos MEGAPOLITA-
 NI (quos ejusdem dignationis, & status sine prærogâ-
 nominasse me protestor, nec enim finitu omnes nomi-
 nare potui) Vos, inquam, liberales in me esse voluisti,
 liberalitatemq; non revocare (quod hiulcorum) sed re-
 apse exercere, Dys in hoc similes, Senecâ teste. Macti
 estote isto condigno encomio generosa & laudis avida

pectora, atq; pergit porro & hâc & alijs virtutibus orbi
inclarescere.

Nunc ad te postlimini convertor LINDEMANNI,
cujus nomini sacrare ineptias has meas nundinarias
placuit, partim ut hoc qualicunq; literario munusculo
ceu obside fidam & à teneris nunquam reconciliatam
amicitiam nostram stabilirem firmaremq;: partim quia
tu de ys dissentantem me attentissimè audire, atq; ac-
cessu tuo præsentiaq; propalam testatum facere voluisti,
te amorem ingenuarum literarum & humaniorum stu-
diorum, quibus ab ipsa infantia à magno Parente tuo im-
mortalis famæ gloriæq; viro ad suefactus atq; institutus,
nuncq; ex a mussim imbutus & exornatus es, nō exuisse, sed
retinere pertinaciter, & ne quidem inter cōtinuos ecce-
siasticos labores (quod vulgus ordinis tui facere solet)
aversari ea aut negligere, sed regustare maximo cum pro-
lubio, quotiens aut animarum cura te non distringit,
aut solus es in Petrino Secreto tuo, mehercles non inglo-
rio neq; in amoeno, cx quo si inclitorum majorum tuo-
rum amplissima in Rempubl. hanc, amplissima in Aca-
demiam, amplissima in provinciam deniq; totam etiam
in posteris, si tuam e suggestu piissimè fandi peritiam,
addo & dulcedinem, aliasq; ingenii tui eximias dotes
debita manerent præmia, evocari debebas aut etiam
protrahi, sed & ego & tu jure ingemiscimus,

Heu quam citatim moriutorum gratia

Ingrata cedit atq; partes deserit!

Atq; miramus potius ridemusq;, quam quod ringamus,
honores alijs conferri alijs deberi, cum hodie plus favi-
tor unus qui autoritatis habet pondus valeat, quam
omne quicquid virtutum est usquam! quibus tamen tutus
est & sibi plaudit, qui sapit supra ignobilem vulgum.
Vale.. Dabam Rostochij è museo meo iphis Calendis
Septembribus. Anno 1652.



Eminem in vobis esse Auditores
præstantissimi certò scio, qui præter-
lapsis pronuper nundinis forum nostrū
magnum non sit ingressus, atq; in eo ob-
ambulaverit perhorulam unam itemq;
alteram ; vel ut emeret sibi aliquid
aut amicæ , vel ut alios videret euentes venden-
tesvè, veletiam ut saltē rerum promercalium varieta-
te & contemplations prūientes novitatumq; avidos
oculos exsaturaret. sed & præterea esse quosdam ex
Phœbi filijs diligenti inquisitione rescivi, qui non ullarū
mercium comparandarū caussa, non occupaturi nummos
à matre clam missos & inscio patre, nō præstinaturi quic-
quam precio, neq; visuri quomodo alij mercarentur, alij
venditarent, non rogaturi quanti veniret casei pondo
aut aselli arefacti, imò ne tabernam quidem ingressuri
ullam, nedum perspeculaturi quid in ea fieret, sed longe
alia fine , longe alio proposito illuc itaverint ; scilicet
ut in puellam hanc vel illam apud quam in amore hærente
fors in foro spatiante m incidere possent eamq; habere
obviam , cuius consummatissimæ felicitatis obtinendæ
caussa dicuntur manæ Veneri vota fecisse timidissimo
murmure atq; nuncupasse Et vero ob hanc amabilissi-
mam stoliditatem atq; inconsultas itiunculas nemo nisi
superciliosus nimis, vel illos Ostracismo percellet, vel
me damnabit, quod secretum hoc horribile eliminave-
rim. Ceterum liceat mihi pace vestra præfari quædam
de nundinis atq; differere, ita ad ornaturo orationem, ut

A 3

ad

adpropositum th̄ema, & Libonis Drusi Juvenis impro-
vidi facilisq; inanibus notabile quod ille peregit drama,
tandem sit recursura.

Quicquid memorabile, quicquid excellens & egregi-
um nostra habet natio, illud certe omne acceptum ferre
debet inclutis Quiritibus; nam sicuti hi leges & literas
bonas, & instituta decora à Grays, sic nos omnia illa-
à Romanis mutuavimus atq; sumus consecuti, neq; ali-
ter profecto cum Nundinis est comparatum, quæ a ut-
ipsæ ut nunc celebrantur, aut saltem illarundem imago
à prænominatis populis nobis est transcripta. Etenim
hi Romuli nepotes pulsis ejectisq; Regibus cum Tarqui-
nij importunitas atq; insolentia ad repetendam liberta-
tem eos armasset, memores Servium Tullium matre na-
tum non ingenua imo ne quidem libertina, præ ceteris
imperitasse mitius clementiusq; , natalem ejus faustis
recordationibus & publicâ panegyri prosequi atq; con-
celebrarē par æquumq; judicaverunt. At vero cum is
dies ignoraretur, certum tamen esset interq; omnes
constaret Nonis Servium natum atq; vitales prodijisse
in luminis auras, omnes nonas celebri lætitia frequen-
tare, ad earum festivitatem confluere, solemnesq; eas
habere & colere! crantq; tum Nonæ quasi quedam nundina, sed
expendentes secum qui diebus præerant, veritiq; ne-
quid his nonis collecta universitas & densata hominum
multitudo ob amorem & desiderium Tullij Regis no-
varet, caverunt statueruntq; ut nonæ a nundinis sege-
garentur. Ergo postidea mercatui nonus quivis cuiusq;
mensis dictus est dies atq; præstitutus! quo singulo &
rustici missa aut ad tempus depositarerum agrestium
cura operisq; suis, & proceres Reipubl. in urbem venie-
bant; illi quidem ultro, hi acciti & vocati per viatores:

nan

nam recens revocata libertate atq; consulatu instituto,
 illi quibus commissa summa civitatis, non deliciaban-
 tar in urbe , aut mollitiei erant mancipati, sed vive-
 bant in prædiis , in villis , rusticabantur , atq; agros
 colebant arvaq;. Ita priore quidem ævo tertio , at
 post nono quoq; die pæctis cum improbis durisq;
 laboribus inducijs urbem coloni , seu ut loquuntur
 veteres, pagani revisitabant, rerum facturi permutatio-
 nes, composituri lites, suffragiaq; senatus consulto con-
 cessa, si opus foret, latrui: hoc ergo die *Nundinorum*,
 seu quod idem nono quoq;, sacro Jovi & lege Horten-
 siâ inter nefastos & inominatos recepto, quibus comitia
 haberet non erat integrum (ne si cum populo liceret agere
 interpellarentur Nundinatores) lites coram Prætore
 componebantur; tum Candidati in colle consistebant; ut
 conspici ab omnibus videriq; possent, tum toti lava-
 bant Quirites , cum alias primis temporibus fatigati la-
 bore, crura & brachia tantum abluerent & purgarent!
 tum deniq; promulgabantur Leges. Et quidam promul-
 gabantur hæ primis nundinis , itemq; secundis, ut à sin-
 gulis atq; universis facile noscerentur : tertio vero foro
 seu mercatu tertio , cum omnis & urbana & agrestis
 plebs adesset atq; multitudo . rogatio earum fiebat . i.
 e. tum Præco verba Legis, scribâ ea subiiciente recita-
 bat, & si populus scisceret Lex ferebatur, puta incide-
 batur in æs, & deponebatur in ærario , tumq; de mun-
 dicebatur lata. Ex his intelligitis singulum novendum
 ad mercatum legesq; accipendas destinatum , atq; à
 nono die, tum Nundinas traxisse nomen, tum *Nundina-*
nam Deam magnæ apud Romanos religionis: scilicet à
 nono nativitatis die illa est vocitata, quò recens geniti
 puelli lustrabantur ijsq; implorato in antecessum *Nun-*
dina.

dinæ Deæ auxilio indebantur nomina: atq; hæc suffici-
ant de Romanis illis ferijs Mercurialibus; nunc de ho-
diernis & nostratis paucissimis ordinar differere.

Jus concedendi nundinas olim ad Senatum pertinebat
Romanum, teste Plinio in epistola ad Valerianum scri-
pta quæ exstat libro V. quinimo à Coss. illud quoq; pe-
titum innuit Tranquillus scribens Claudium Imperato-
rem LL. seipsum subiçientem publicis, à Coss. petuisse
jus nundinarum in sua prædia; hodie & in Germania, &
Gallia, & Hispania regnisq; alijs soli supremi rerum do-
minatores & Monarchæ elargiantur & concedunt po-
testatem publicorum & solemnium mercatuum, eosq;
stabilunt & honorant multis immunitatibus de quibus
pleni Juris Consultorum libri quæ prolubitu & arbitrio
vestro omnia discere poteritis domi ex mutis illis fi-
disq; magistris, qui neminem adulantur, neminem fal-
lunt, neminem quicquam celant. Ego vero in præsen-
tiarum commu nicabo vobiscum ea, quæ non ita pridem
præterlapsis nundinis opidi nostri in foro mihi observa-
vi; Certe lapides non loquar qui excutere vobis possint
cerebrum, sed tamen levia, immo ne quid dissimulem-
neve majora promittam quam præstiturus sum frivo-
la: parate ergo aures vestras jubeteq; ut sine tædio reci-
piant & devorent quæ ego sum prolaturus.

Sapientia est secundum Satyricum vel per speciem fure-
re cum insipientibus, atq; obsecundare receptæ seculi
hominumq; consuetudini, nisi fœda illa sit nimium & à
præceptis honestatis abludat: Ita cum omnes tripudiant
& rident si tu solus fleas & lacrumeris, hoc ploratibus
tuis efficies, ut qui ridebantantea, cachinnari incipiunt
postilla propter te effusissimè: si omnes concesserint jam
lectum, & alte dormiant, tu vero solus in plateis circum-
equites

3939

equites aut obambules ipso noctis concubio sermonibus
hominum stringeris pro merito tuo scilicet callidissimè
temporibus est inserviendum, quam artem mire com-
mendat in Magno Alcibiade suo Nepos Cornelius. Quan-
do Tarentum obsidione premebat Marcellus Romanus
cives omnes & incolæ amovendo hoste gnaviter occu-
pabantur, solus Architas pingebat circulos in arena,
quæ res profecto non potest majori laudi illi verti,
quam Diogeni Cynico quod in dolio suo jacuerit per-
petuum, sive bellarent alij sive jocarentur curarum ex-
pertes atq; vacui. Ego vero neutquam sectator horum,
quando animadverti ante hoc ipsum octiduū & patres &
matres & filios & filias familiarū properare ad forū nun-
dinarium solis ferè ancillis domi relictis: oneravi & ipse,
aliquando humeros meos palliolo, atq; non rectâ quidem
via, sed per ambages quasdam & platearum anfractus eò
me etiam quoq; contuli, spectatus quid rerum ibi age-
rent homines; antequam vero ad destinatum locum ve-
nirem, pelliciebat me atq; prolectabat in media via ad
emptionem Juvenis aliquis suffarinatus, enumerans
catalogum mercium viginti duas longum ulnas non si
ne exquisitissima gloriatione, quā incentus ego tum de-
siderio videndi quid sub pallio bajularet in vestis ille,
pyrgopolinices jussi eum consistere, atq; in saxeō quo-
dam scamno ante ædes amici locatam sarcinam reclude-
re: ibi nugo lepidissimus commonstrat mihi aciculas ru-
bigine inquinatas magnas, minimas, medioxumas, vin-
cla linea rubra & alba, forficulas, digitalia & alia talia
quæ videre tædebat nedum emere; quandoquidem
ergo intelligebam nihil harum mercium mihi conveni-
re misso vano circumcursorē illo propero ad forum! eo

B

ubi

ubi ventum est , conspicor tabernas innumerabiles ;
omnes in teamine superstratas intercasq; , quales solent
esse casæ militares . Ob ambulanti inter has medias obvi-
am occurrit notus aliquis & familiaris , atq; humaniter
salutatum strenam non tam rogat quam poscit ; negare
obstinatè amico relligio erat ; dare haut commodum ,
utpote cuius loculi tum ex auditorio venientis commo-
dum repleti erant non alio quam Professorio peculio h.
e. Catullianis inanijs atq; araneis ; proin à tempore excu-
sationem mutuor aut fingo : quid hoc inquiens novi est
Domine mi , quod æstate adulta ubi jam *lato turgent in pal-*
mite gemme à me strenam exigas , quam calendis Januarijs
offerre sibi invicem amicos voluit erudita antiquitas :
nonne legisti apud Tranquillum equites Romanos soli-
tos primi mensis primo die quotannis Augusto Cæsari
etiam absenti in Capitolio munera statuere ? nonne le-
gisti apud eundem , Caligulam edixisse , anno ineunte
strenas ab omnibus se recepturum , stetisseq; in vestibulo
ædium ipsis calendis Januarijs ad captandas stipes quas
plenis manibus ac sinu omnis generis suffarinata turba
ad eum ferebat ? Nonne legisti , prohibuisse Tiberium ne
ultra hunc diem anni primum exerceretur strenarū
commercium ? Evidem xenia seu strenas Principes di-
versimodè acceptavere . Octavianus enim summarum
acervos tantum delibabat , at Germanici ille pessimus
& avidissimi ingenij filius etiam de immensis oblatis ni-
hil adspernatus est aut remisit : & non solum consulvere
æqui Romani Dynastæ strenas à subditis bona voluntate
& prothyme donatas , sed etiam quotannis offerendi
illis imposuere necessitatem : nunquam tamen illis hono-
rari se voluere aut passi sunt , nisi calendis Januarijs : his
enim

enim munusculis felix anni auspicii ominabantur sub-
 diti dominantibus, quod nos votis conceptis facere
 soleme habemus. Cujus consuetudinis originem pro-
 fluxisse à Tatio, primū Romuli hoste deinde Collega-
 in Imperio Symmachus me docet: ab exortu, inquiens,
 pœne urbis Martiæ strenarum usus adolevit autoritate
 Taty Regis, qui verbenas felicis arboris ex luce Sterniæ
 anni novi auspices primus accepit: sed sit ita (pergo ego
 dicere) nihil te alienum fecisse à præsenti tempore, quan-
 do invaluit mos apud nos & jam inveteratus est pen-
 tecostalibus nundinis strenas largiri atq; erogare.
 Ergo quandoquidem casus nos insperatus & fors diu
 non visos conjungit, enage sis conditionem dico, quam
 te haut adsperraturum confido hanc nempe, aufe-
 rat alteruter nostrum caput unctius, atq; xenia reportet
 domum, nam reciprocate strenas & mutuum facere in
 donando (quod tamen antiquis usitatū fuisse non nego,
 qui pro xenijs apophoreta remittebant). mihi videtur
 habere quandam aviditatis significationem; certe si
 vulgus constituerimus arbitrum, tu me debendi habes
 reum; secundum enim ejus scita & sententiam præveni-
 entis & prius compellantis conditio est melior: sed nos
 supra ignobilem plebem positi dedignamur ejus infruni-
 tas sanctiones. Proin nisi nevis componemus nos ad ex-
 terorum mores, tua erit optio statuere, velimusnè sequi
 Italorum an Britannicas consuetudines. Ad hæc nihil
 amicus ille meus, sed mussavit, pressoq; obmutuit ore,
 cuius ex silentio cum haut difficulter conjectarem, ne-
 scire cum quid mihi vellem, explicationem subnecto
 protenus; apud Italos inquiens, summi viri dant infi-
 mis strenas, in Anglia vero inferiores superioribus &
 Regi cuncti Principes, illorum ergo si tibi ratio proba-

B 2

IUR

tur & placet, resolve crumenam tuam atq; liberalem te
mihi præsta: si horum, non intercedo meum esse pro fa-
cilitatibus te munerari. Quam civilitatem, atq; ut ille,
aiebat scomma speciosum, cum sinisterius accipi intelli-
gerem ab homine, alios pluris quam se ipsum æstimator-
e, spondeo strenam empturum me, non pro dignitate
quidem, sed quæ benevolum meum animum indicare,
tamen quiret, si quâ re delectaretur ille intrepide indi-
caret & sine dissimulantia. Nolebat hoc facere, ajens,
se æqui & boni consultorum quicquid mea benignitas
objectura esset. Ergo progredimur coemendi xenij
caussa. Ceterum venimus initio ad tabernam quandam,
quæ sine ullo ornatu & cura constructa rerum nihil
ostentabat aut continebat, sed hanc tantum schedulam,
obtento serico affixam *Hec veniunt Cajmelia preciosissima*
sine pretio, introite ergo generose menter atq; ea vobis sumite,
pro lubitu sine impensa aue hostiumento. Submirabamur ambo
nos, quo valeret tam liberalis invitatio, quâ prorita-
bantur ad auferendas gratis merces egregias homines;
non nescij Lunam, solem, aquam, aërem argento nos
non commercari ad ceteroru à Mercurialibus viris sine
argento nihil omnino; neq; tamen vel musca ibi erat
emptorum, neq; mortalium quisquam, qui ad taber-
nam subsistere unquam dignaretur. Quæ res intende-
bat desiderium nostrum cognoscendi, quid institor ille
quasi Apelles quispiam, post tabulam latitans vendita-
ret. Dum ita stamus stupentes & attoniti, fœmina quæ-
dam ingenui vultus ingenuiq; pudoris remota paulu-
lum cortina caput exerens, ita nos affatur: *Mei Domini*
totis his nundinis, quæ mox exspiraturæ sunt, neminis
audi vi vocem, inquirentis, quid hac in taberna veniret,
ne dñm

nedum emere cupientis à me quicquam, quod si vos delectamini mercibus meis offero eas, & mancipo vestris commodis & utilitatibus petlubens. Virtus ego cluēo & bonas literas atq; sapientiam venalem expono, quæ si oculis corporis cerni posset, mirabiles profectò amores excitaret sui. Nunquam ad Danaem tantis votis tanto animi fervore Juppiter aut ad Venerem accessit Tardipes Vulcanus, quem ego cum comite meo ad illam mulierculam, qui non solum in tabernam sed ipsum gremium divinæ & planè immortalis hujus foeminæ immersissimus nos flagrantissimè, nisi abstitisset proposito & destinationibus errantium multitudo, quæ ad virtutem grassantibus illudit, pinstq; eiconias longas; proin ægrè & contra voluntatem divulsi, à mellitissima hac institrice protulimus gressus retendimusq; ad tabernam quæ non procul ab hac, mirificissimam, in qua præter codicillos quosdam parvos Argus ipse oculatissimus nihil potuisset invenire delectus ad hanc rem visor. quærentibus nobis ex luto aliquo & manus faciemq; fuligine obliito commaculatoq; sene, cui usui schedæ illæ forent, & num speraret quemquam tam emacem, ut pro ijs omnibus esset obulüm daturus unum, cœpit monere nos ille non sine gestibus corporis operosis, in illisce contineri Heroes, qui bis in anno nomina sua ad Francofurtenses aliasq; Germaniæ nundinas transmitten, atq; collaudare orsus est oppidò & strenuissimè operam eorum, qui malunt numerari libros à se vulgatos quam estimari febriculosumq; aut notissimum quid emittere in lucem quam nihil. Gloriabatur insimul vehementer, solis illis nominum catalogis inescari imperitos, eosq; magno questui & lucro sibi esse, nedum libros

libros ipsos quamvis à doctis roderentur. Sed nos etiam ab hoc discessimus, passi eum more suo desipere & cum illo cœteros nescientes judicare.

quid distent era lupinis.

Hinc descendimus in medium forum, in quo effusa nimbo similis atq; fastim coglobata multitudo, quosdam altiori mensæ insistentes, ut tanto commodius conspicerentur, cingebat circumstabatq;. Erat veri simile ardua illic agine negocia, ubi tantus hominum concursus, tanta turba, ut domibus suis excita tota videretur civitas. Placuit ergo nobis itare atq; vadere ad concionem frequentissimam præsummentibus spe, grandia mysteria sapientiæ ibi promulgatum iri, resq; ponderis & momenti maximi, sed postquam accessimus proprius ille me & ego illum adspexi tacitè belligerantes nobiscum, quod tam inconsulte, vulgi circulo nos immiscuissemus: quemadmodum enim Orpheus, cū rebatur se Eurydicem amplecti & ducere, umbram aut minus umbra habebat. Sic nobis pro speratis oraculis plus quam deliria sunt, propinata & obtrusa. quippe erat ibi agyrtæ aliquis & nauci homo, atq; silentium poscebat manu; super mensam stabat rugosa & tetrica anus, quæ vestes adeo succinxerat, ut genua cereis prunis flaviora videri possent, imo & illud quod est altius: hæc distorto jam in hanc, jam illam, partem ad aures usq; ore, cantabat aut potius mugiebat varia, soles quinquaginta visos uno momento albos, nigros, rubros & ceruleos, natum pusionem nasum habentem in occipitio & oculum in primo pedis digito aliaq; sexcenta in cedribilia, vana & adeo absurdæ, ut nemo ægrotus somniet quicquam tam ridiculum. Lateri yaticinantis insanientisq; hujus fœminæ adhærebat

adherebat quadratus aliquis scurr a, qui cantitanti interfabatur & stentoria voce explicaturus, quæ mentiebatur garrula, hoc efficiebat, ne singulæ voces exaudiri possent. Et tamen tanto agmine undiq; concursabatur, quasi facundus aliquis & excellens sacerdos Oracula divina è suggestu cōcionaretur atq; panderet scilicet vulgo imperito volupe est mendaciis falli & cunctati^v vera ille credit, quā quæ nec sunt nec fuere nec erunt unquam. Memini me legere in Corciacensium nundinis quæ octavo post pentecosten die celebrantur, meretricum stuprum venum dantium familiam solemines choreas ducere, Helvetiorum vero Præfectum huic vinnulo gregi anteire restimq; tenere, & eam quæ commodissime saltaverit, prandio post excipere luculento. Ita ductantur imbi prostibula à viro gravi: at contra in nostris nundinis vidimus ab uno obsoleto scorto ductata aliquot hominum millia atq; lusa nugamentis falsisq; & monstrosis atq; antilibus narratiunculis affatim.

At aures nostræ jam pridem exsurduerant declamationibus insanissimis maleferiatorum horum blaterorum, proin quæ perpepsi eramus fastidia abitione, evitare consultissimum rati sumus, ne prorsum iugularerum in impudenti eorum garrulitate. Ceterum pullatam turbam sororem foecemq; urbis nostræ, quæ magno cum prolubio naso adunco se suspendi passa erat & verba data auresq; mendacio quiis impletas non tam dolebat quam loetabatur impense, queri audiebamus misere quod his nundinis severo nimis & inexcusabili Magistratus edicto Heroes illi nō essent admissi intra pomœria, sed seu impostores exesse iussi, qui oculis hoc tempore delicias facere consueyissent suis Mimos scilicet & Pantominos

minos, & athletas mercenarios & gesticulatores & ejus
commatis censusq; propudia & vilissima capita alia. Ita
magis desiderantur longèq; majores fiunt vesanis qui
histrionalibus operis imponunt, quam qui egregium
publicum curant promoventq; & pro ejus salute atq;
incremento noctes diesq; animo excubant iacentq; in-
somnes.

Sed expectatis forte ut indicem, quid actum sit
de strena, quam stipulanti in via amico spopondisse
me fassus sum sub sermonis hujus exordium. Dico vobis,
Auditores, satius me existimavisse violare receptum
seculi morem quam fidem datam, si enim excusati-
culis non plane ineptis, si assimulata oblivione, si al-
terius obviantis amici affatu atq; alloquio aut alia qua-
vis specie declinare lubuisse pollicitationum præstatio-
nem sectam temporum nostorum esse lecurus, nam
ex disciplina ævi & foro utentium cuiusvis aures imbu-
endæ sunt verbis dulcicolis, imbuendæ grandibus spe-
bus, imbuendæ promissis amplissimis & his omnibus ve-
luti hamo capiendi, quibus non licet nocere palam &
sine dolo. Ego vero nihil doctus harum technarum atq;
ingeniosæ fraudulentæ recepto & sponsioni satisfacere
studui, & ne translativa atq; quotidiana munera offer-
rem familiariter mecum conviventi perreptavi forum to-
tum, visitavi tabernas omnes, adij sericarios, lintearios,
pharmacopolas, aurifabros, scrutarios, pilioncs & pel-
liones, fibularios, & fullones, phrigiones & casiarios,
magnarios & minimos hujus ordinis & nescio quos
tandem non: apud horum nullum invenire licuit xeniu-
m pro amicis at in omnium tabernis quamvis diver-
sissimæ essent conditionis institores, quamvis merci-
monio

monia toto cœlo differentia venditarent, in omnium
 inquam tabernis tamen eodem pacto remagi comperi-
 mus; excepta una, cuius ferè fueram oblitus; quam-
 propter multos obambulare conspiciebamus albatos &
 vestimentis induitos candidis; quorum aliqui compositi
 ore verba meditabantur; aliqui præparabant se ad cere-
 monias, quasiq; exercitijs præludebant vernilitati de-
 stinatæ, & profuturis adulationum ineptijs; quippe
 aperiebant capita, nictabant, nutabantq; , torquebant
 poplites, manusq; dissuaviabantur proprias; omnia
 hæc stultitiae specimina edituri ubi ventum ad instito-
 rem, isq; compellandus, Ceterum si quæreritis quid mer-
 cium heros ille habuerit, cuius gratia varij ordinis ho-
 mines tam intentè gesticulabantur, tacituris dicam se-
 creto, & in aurem: venditabat ille honores, dignitates,
 Magistratus, munia officiaq; secularia & ecclesiastica-
 tum sententias interlocutorias, & definitivas: damna-
 torias, & absolutorias; capitis poenam continentes &
 mitiorem; cui cum sentus aliquis & pauperulus suppli-
 caret, & per Deos omnes flebiliter contenderet, ut in
 causa æquissima pro se pronuntiaretur, ablegatus est
 hoc responso: acquiescendum esse *decreto*, quod ta-
 men latum erat nullum; contra pecuniosus postulatus
 sacrilegij, licebatur impunitatem & veniam sex milli-
 bus, & facillime impetrabat.

Erat adhuc alia taberna in foro juxta fornicem
 egregio carcere nobilitatam, in qua quæ viderim ego
 in præsens haut est tutum vulgare, communicabo tamen
 & hæc vobis cum tempore alio, nunc repetens quod
 prædixi, in omnibus quas introij tabernis pacto eodem
 rem esse gestam. At velut enim ad Persicis regni sceptra

C

nemo


nemo admittebatur, nisi qui placentam ex ficubus &
terebintina comedisset; ita crediderim ego neminem
institoriam artem profiteri posse & cum emolumento
exercere, nisi una aliqua scientia aut imbutus sit, aut
imbui se optet & finat. Est vero illa scientia honesta &
inhonesta, bono & mala, licita & illicita, dicit illa &
pauperat, conservat commercia & destruit eadem, toti
societati humanæ conductit maximè & maxime officit;
Provoco vos quotquot èstis Auditores ut divinetis,
quæ illa excellens & incomparabilis sit ars, in qua tan-
ta dissimilitudo, quæ laudanda oppido & oppido
vituperanda; quandoqidem tacetis cuncti, solvam ego
verbo ænigma; ars illa de qua dixi est emtorem circum-
veniendi peritia, hanc gentium jura i. e. ratio recta &
humanarum civiliumq; legum constitutiones eunt
comprobatum; nam ut Paullus & Vlpianus dictitant
licet se invicem contrahentibus naturaliter circumve-
nire & qui honestum lucrum ementibus vendentibusq;
interdicit, is tollit commerciorum usum è mundo & si-
mul solem, societatiq; humanæ perquam est injurius.
Quis enim quæso vos pro nullo omnino quæstu obiret
longinqua regionum? quis fragilem truci committeret
pelago ratem & fragili rati vitam? quis nammos invol-
veret atq; implicaret dubijs & ancipitib; mercaturis, quis
deniq; res curaret alienas suas postponeret sine spe com-
pendij. Hæc rationes, Auditores, adiudicant honestū &
modicum lucrum vertentibus in mercatura. At lacerare
proximum ultra dimidium justi pretij, exenterare mar-
supium ejus, emungere numnis & tondere auro usq; ad
vivam cutim concivem atq; absorbere acerrime atq;
æstuose argenti exterebrandum est non ingenuorum.

virorum

virorum. Mihi vero favit fortuna, ut inciderem non
 in hiulcum danistam aliquem & impostorem improbum,
 sed hominem bonæ famæ & mentis a quo amiculo meo
 commercatus sum strenam pluris quidem, quam ipse
 institutor eam emerat, sed eo tamen pretio, ut tactum me
 ultra fas nec queri ego possem & donatarius gratias mihi
 magnas dependeret, Quod dum dico Auditores benè
 recordor, quanta *aliqui è vobis* beneficiorum religione
 me obstrinxerint, dum propensis muneribus, circa hos
 menses, quasi æmulatione quadam memorabili & nun-
 quam satis de prædicanda prosequi me sunt dignati Ego
 sicuti noëtes diesq; animo voluto, quomodo reædificare
 prothymias illas exællentes queam, atq; strenam pensa-
 re, in qua largiter danda etiam tempora anticipare vo-
 luistis; ita solemnem gratiarum actionem tanquam ubi-
 rem aliquam materiam peculiari aut scriptiōni aut de-
 clamationi se posui. Restat ut ad *Libonem nostrum*
Druſum convertam sermonem, in cuius sorte exponen-
 da atq; fortuna multus est Tacitus: delatus bonus ille,
 & incallidus homo in tabernam nequissimam damno-
 fissimamq; cuius Magister & Dominus *Firmius Catius*
 institutor *Flaccus Vescularius*, qui dolos, Zamias, ca-
 ptiones, technas, fallaciasq; sancto & venerabili ami-
 citiae nomine occultata credulo Liboni venditabant,
 iisq; hunc ad interitum inducebant, quorum nequam
 hominum merces si lubido est inspicere, cras hac
 eadem hora adestote iterum
 frequentes.

D I X I.

•\$ (0) \$•





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730148548/phys_0026](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730148548/phys_0026)


DFG

Mr. phys.

virorum. Mihi vero favit fortuna, ut
 in hiulcum danistam aliquem & imposto
 sed hominem bonae famae & mentis a qua
 commercatus sum strenam pluris quid
 institor eam emerat, sed eo tamen pret
 ultra fas nec queri ego possem & donata
 magnas dependeret. Quod dum dico, recordor,
 quanta *aliqui* è *vobis* benefici
 me obstrinxerint, dum propensis mune
 menses, quasi æmulatione quadam mer
 quam satis deprædicanda prosequi me su
 ficuti noctes diesq; animo voluto, quomodo
 prothymias illas exceilentes queam, atq;
 re, in qua largiter danda etiam tempora
 luistis; ita solemnem gratiarum actioner
 rem aliquam materiam peculiari aut scri
 clamationi seposui. Restat ut ad L.
Druſum convertam sermonem, in cuius
 da atq; fortuna multus est Tacitus: dela
 & incallidus homo in tabernam nequissimamq;
 cuius Magister & Dominus
 institor *Flaccus Vesicularius*, qui dolos
 ptiones, technas, fallaciasq; sancto &
 citiae nomine occultata credulo Liboni
 iusq; hunc ad interitum inducebant, qu
 hominum merces si lubido est inspice
 gadem hora adestote iterum
 frequentes.

D I X I.

•S (0)•



Patch Reference Number: T263 Serial No.: . . .

Image Engineering Scan Reference Chart T263